

vel potius consensus omnium: etiam illa, quae minimum nunc quidem potest (sed possit necesse est) respublica, quascunque vires habebit ab iis ipsis, quibus tenetur, de te propediem, mihi crede, impetrabit. Redeo igitur ad id, ut iam tibi etiam pollicear aliquid, quod primo omiseram. Nam et complectar ejus familiarissimos, qui me admodum diligunt, multumque mecum sunt, et in ipsius me consuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clausit, insinuabo: et certe omnes vias persequar, quibus putabo ad id, quod volumus, pervenire posse; in hoc toto genere plura faciam, quam scribere audeo. Cetera, quae tibi a multis prompta esse certo scio, a me sunt paratissima: nihil in re familiari mea est, quod ego meum malim esse, quam tuum. Hac de re, et de hoc genere toto, hoc scribo parcus, quod te, id quod ipse confido, sperare malo, te esse usurum tuis. Extremum illud est, ut te orem et obsecrem, animo ut maximo sis, nec ea solum memineris, quae ab aliis magnis viris accepisti; sed illa etiam, quae ipse ingenio studioque peperisti: quae si colliges, et sperabis omnia optime, et quae accident, qualiacunque erunt, sapienter feres. Sed haec tu melius, vel optime omnium. Ego quae pertinere ad te intelligam, studiosissime omnia, diligentissimeque curabo; tuorumque tristissimo meo tempore meritorum erga me memoriam conservabo.

### XIII. M. T. C. CN. PLANCIO S. D.

«Plancius his Ciceroni, et de recuperata per Caesarem dignitate, et de nuptiis cum virgine, dimissa Terentia, initis, gratulatus fuerat. Utrisque litteris una epistota respondet Cicero: prioribus, non esse pristinam dignitatem, quam receperat: alteris, quae causa fuerit novi consilii ineundi. Tandem solatur Plancium exsulantem, eique nihil, praeter communem calamitatem, timendum esse confirmat, cui sua denique officia pollicetur.»

Binas a te accepi litteras Corcyrae datas: quarum alteris mihi gratulabare, quod audisses me meam pristinam dignitatem